

DISSESSATIO INAUGURALIS

D E

C O N T A G I O,

QUAM ANNUENTE

INCLYTA FACULTATE MEDICA

P R O

25541

DOCTORIS MEDICINAE GRADU

RITE CONSEQUENDO

IN ALMA AC CELEBERRIMA REG. SCIENT.

UNIVERSITATE PESTIENSI

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOANNES SZEBÉNI
TRANSILVANUS KÜKÜLLÓENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in Palatio Univers. majori.
Die Octobris 1831.

PESTINI,
TYPIS TRATTNER-KAROLYIANIS.

INST. MED. FARM.

1831. 1. 18.

Bibliotheca Centralis

JUN 2004

Campum mihi late patentem aperiri video, dum in ambitu Medicinae universae obiectum dissertationis meae adgredior. At temporis adiunctis me conformando protinus materiam eligendam prae oculis habeo, dum aevo nostro morbos contagio propagandos occurrere communis querela est. De contagio igitur in vero sensu utilitatis scribere statui, ut ea solum adferre, quae pro securitate publica necessaria essent, aequissimum fore arbitrer.

Medicis aegros curantibus saepius evenit, ut vix unum aliumve sanitati restituant, illico novi eodem morbo affecti lectum petant, imo non in eadem solum domo, verum in pluribus eiusdem civitatis similes occurrant casus. Mox communis querela de aliis quoque regionis locis volat, ita, ut morbus idem certo itinere propagari cernatur, et quidem infelici eo eventu, qui Medicum otiosum saltem spectatorem sistit.

Morbos ita universalি ratione humanum genus adgredientes omnino fundamentum in aëre habere jam dudum novere Medici, qui eoipso celeriter se extendunt, multos homines ad semel adgrediuntur, non obstante summa custodiae cautela, absque eo quippe, quod cum aliis conta-

ctus in considerationem venire possit. Et hos morbos epidemicos compellarunt, qui proin cum ab aëre pendeant, magis aliquam legem in comparendo observant, atque limites propagationi suae a nostra potestate poni non sinunt. Occurrere attamen solent alii morbi multos adgredientes, absque ulla lege venientes, qui initium non momentosum habent, et se saltem successive per certa intervalla extendunt, non protinus copiam hominum invadentes, verum eos magis, qui in nexum cum morbidis, aut eorum rebus veniunt, alii plurimi, se nempe separantes, immunes manent, ut manifeste intelligatur contagium subversari debere. Atque hos morbos contagiosos vocamus, qui cum per contactum transire in aliud soleant, limites propagationis suae desigi, per separationem, admittunt.

Morbus igitur contagiosus pendet a produceto in organismo vivo morbido, quod si in aliud transferatur organismum, eundem morbum producere in potestate habet, et ideo productum illud contagium dicitur. Distingui tamen debet contagium a malignitate et miasmate. Malignitas nempe cuvis febri adhaerere potest, ubi imprimis sistema nervosum ita afficitur, ut mox ab initio morbi summa virium prostratio adsit, in contagio e contra saepe vires vitae insurgunt. Exemplum sistit febris nervosa torpida, ubi saepe mira malignitas evolvitur, in typho contagioso econtra status phlogisticus augmentum virium vitae prodens se exhibet. Miasma est exhalatio putrescentium, ac proin a quocunque naturae regno productum, quod facillime per atmosphaeram propagatur, contagium vero potissimum ab ea decomponitur. Contagium tamen eum efficere statum potest, ut

plurimos adgrediens demum evolutioni epidemiae occasionem p^raebat, siquidem e morbo tali innumeros occidente miasma originem sumat, quod atmosphaeram inficiens ulterius per hanc aliquamdiu propagetur, atque in hoc sensu veram epidemiam sistat. Exemplo nobis est typhus contagiosus, qui vix per contagium ex uno aliove in ceteros translatus vim per atmosphaeram propagationis sua^e manifeste ostendit; sed et contrarium videmus, morbi quippe epidemice venientes dein per contagium propagantur, quoties etenim experiri nobis licet exanthemata epidemice advenientia in stadio desquamationis contagio in alios transire.

Sublimis attentio Medici in determinando morbo contagioso, atque ab epidemico in vero sensu discernendo existat, necesse est. Nam contagia ipsa variae subtilitatis esse eruimus, ita, ut quaedam magis fixa, alia item nonnihil volatilia esse intelligamus. Nonnulla profecto ita corporibus adhaerentia reperimus, ut, nisi cum aegris aut corum supellectilibus in contactum deviamus, omnino a periculo contagii immunes reddamur, documentum nobis pestis orientalis p^raebet, quam per aërem nunquam advenire metuimus; alia vero volatiliora suisse comperiebantur, ut etsi per contactum propagentur, tamen aëri quoque aliquamdiu se communicare potuerint, ut in typho contagioso experientia nos docet.

Natura igitur contagii ratione propagationis ejus imprimis in considerationem sumenda est. Id generatim certum est, contagia densis, politis, magnae superficie corporibus minus inhaerere, mollieribus e contra, laxis, porosis se faciliter adiungere. Hinc experientia ostendit contagia minime metallis, vitro, oleo, vino; sed fa-

cillime adhaerere lanae, serico, gossypio, filis, chartae, coriis, ac per haec communicari, uti et per aegros iam reconvalescentes.

In organismo vivo ante omnia systema lymphaticum facillime suscipit contagium, et quidem tanto magis, si calor succurrat. Systematis cutanei debilitas, uti apud scorbuticos, hydropicos occurrit, impedit absorptionem contagii, siquidem tunc activitas vasorum absorbentium statum utcunque paralyticum praeseferat. Observatio docet, quod animi pathemata deprimentia, uti tristitia et praecipue metus, promoteant contagiorum assumptionem, quum energia virum vitae inimico huic resistens functioni suae perficiendae respondere impar reddatur. Si processus reproductionis lente pergit, non ita facile locus contagio concedetur, nam sic lente omnis assumtio succedit, quamobrem senes minus quam juvenes contagium assumere possunt, at infantes quoque ad minus habiles illud assumendi referendi sunt, etsi enim celeriori gaudent assimilatione, reproductio tamen eorum lentior est. Hinc ii etiam, qui vegetabilibus vescuntur, contagio assumendo minus expositi esse videntur, quam quorum victus ex animalibus est, quod cibi e substantia animali naturae humanae magis homogenei citius reproductionem perficiant, atque ita contagium celerius ac ex indole sua nihil deperdens in organismum humanum effectum exerere possit. Rationem ex his intelligimus, cur contagium in sistema sanguiferum aut lymphaticum assumtum citius lethalitatem adserre conservet, quam si in sistema nervosum saltem pervenerit, in priori casu profecto intime nos penetrat, in ultimo vero luctae adhuc occasio datur viribus vitae grandi inimico se opponendis.

Contagium in organismum vivum illatum non aequali modo cunctis eiusdem partibus communicatur, nonnulla enim contagia peculiares ex indole sua petere solent partes, alia vero plures quidem, verum diversa intensitate, ita contagium variolarum est in pure pustularum; syphilidis in pure ulcerum et bubonum; rabiei in saliva; contagium pestis vero in pure carbunculorum et bubonum magis quam sudore, siquidem experientia docuerit, uti in peste Bucharestini eernere fuit, contactum per cutem sudantem infectionem causasse celeriorem, sed benignius decurrentem, per pus carbunculorum et bubonum vero tardiorum, verum malignam. Ceterum quamquam contagium quodvis peculiare vehiculum quaerat, organa tamen nonnulla magis quam alia impedit, ita variolae magis caput; morbilli membranam pituitosam faucium, pulmonum, oculos; scarlatina incipiens fauces, ad finem veniens tex-tum subcutaneuni; syphilis fauces, cutem, ossa; rabies medullam spinalem, et sistema nervosum dorsale adficere solent. Interdum autem varia intensitate adgreditur contagium vitam, ut varios gradus activitatis ejus assumere oporteat, ita in febre flava americana, quae, ut observatum est, in calido climate in advenis evolvitur, in his contagium enascitur, et tum in indigenas transfertur, atque sic in regiones remotas; in hac inquam febre flava similiter in Hispaniam Europae translata Bally, François, et Paris et quinque varietates morbi adnotabant, a leviori quippe, quae limonadae coctae soli lenibusque evacuantibus cedebat, usque ad gravissimam quintam, quae forma apoplectica, aut cholera citissime aegrum interemit.

Contagii itaque in organismum vivum agendi rationem nobis observare non semper licebit,

dum nonnunquam fulmineo paene ictu vitam exstinguit. Ubi tamen lentius operatur, stadia certa distinguere valemus. Sub assumto contagio in stadio invasionis singulari modo vasa lymphatica loci contagium suscipientis fiunt magna et dolorifica, glandulae vicinae lymphaticae intumescunt et dolent, tum accedit horripilatio, quae id peculiaris habet, ut etiam sub calore febrili observari possit, quod cernere est in vulnere, cui contagium rabiei inoculatum est, hoc enim quamquam clausum esse videatur, tamen mox rubet, caerulescit, calet, intumescit, dolet, vicinia quoque in decursu vasorum eandem mutationem exhibet, tum horroris specie per spinam dorsi divagante universalia phoenomena incipiunt stadium sequens designantia. Dum contagium stadium iam eruptionis indicat, venit sensus tractionis, apud nonnullos vero pruritus unus partis cutis, quae saepe rubescit, atque in variis partibus, pro varia indole contagii, prima vestigia morbi in oculum incident, ita vestigia prima variolarum et morbillorum videmus in genis, miliarium in externo latere colli et circa papillas mammarum, scarlatinae in anteriori parte colli, petechiarum in interno latere brachii et in humeris, febris flavae hinc inde in extremitatibus, pestis peculiariter in glandulis inguinalibus. Contagio ita ad eruptionem deveniente primo evolvitur in vero sensu morbus contagiosus, qui ut decursum suum terminet, peculiaria stadia observare debet. Neque quacunque medendi ratione morbus contagiosus in stadiis his impedimentum sibi poni admittit, si cum eo febris essentialis jungatur, ut exemplum praebent exanthemata veri nominis seu primaria, atque saltem morbi contagiosi absque febre existentis aut saltem cum hac secundaria

juncti indoles sinit iusta medendi methodo terminum sibi breviorem adferri.

Cum morbum contagiosum iam evolutum sanare maiorem adferat difficultatem, in eo adnittendum erit, ut contagio in primis initii occurramus. Prima idea hic, ab antiquissimo tempore, ea fuit, ut homines contagio affecti a sanis separentur, unde aedificia erecta, nomen **contumacia** gerentia originem sumunt, in quibus infecti detinentur, curae medicae subiiciuntur, atque ita contagium deletur. Alii conditionem ad incrementum processus contagiosi adimere studebant, qualis calor est, hinc frigus omnimode applicari, praeprimis vero lotiones frigidas adhiberi svadebant. At metus propagationis similium morborum per atmosphaeram evenire solitae hanc ipsam depurare studuit, et quidem ignis in auxilium sumebatur ratione physica rem ita comprobante. Novimus nempe ad alendum ignem aëris accessum necessariam conditionem esse, quamobrem undique ad ignem accedens aër, quibusunque heterogeneis imprægnatus, haec eidem adferre debet, quae per fumum dimittere solet, tanto magis si idoneus apparatus applicetur. Ita proponente Romershause cubiculi aër depurari potest, si tubus a superiori parte cubiculi ad insimam fornacis partem ignem tenentis inducatur, ac in fornace structura ductus serpentino fumum derivet, simul per foramina ad fundum cubiculi aërem recentem immittendo. Verum haec aërem depurandi methodus pro maiori extensione vix sufficiens esse videtur, quare de contagiis directe destruendis cogitatum fuit. Tentatae igitur sunt fumigationes diversae indolis, partim gratae, quae sensus nostros magis penetrarent, atque ita contagia qua contraria excluderent, partim ingratae, quae

velut vehementes contagia destruerent, sed cunctae incassum, quod eae substantiae vegetabiles aromaticae fuerint, quae involvere magis, quam penitus extinguere contagia solent. Recentioris aevi inventum est, contagia per acida mineralia deleri, unde iis non solum fumigations faciendo, verum dilutis gargarisare quoque et os eluere, aliquid inde in nares attrahere, imo totum corpus lavare maxima utilitatis fuisse experientia demonstravit.

Acidis mineralibus fumigationes instituendi variam habemus methodum, id tamen generatim tenendum est, acidum sulfuricum magis ad lectos et vestes perfumandas valere, uti e nitratis lixivae unc. $1\frac{1}{2}$ Sulfuris unc. semis m. accensis. Dum pulmones debiliores in considerationem veniunt, acidum nitricum eligitur, in acidi sulfurici nempe unc. $\frac{1}{2}$ ad arenam calidam locati injicitur successive, in frustis, nitratis lixivae unc. $\frac{1}{2}$. Omnibus tamen potentius contagium destruit gas muriaticum, imprimis si oxygenatum sit, si nempe muriatis sodae drach. 10. oxydi mangani nativi drach. 6. misceantur in pulverem, tum sic pulvis ad ignem locetur, additis prius aquae unc. 2., dein vero sensim acidi sulfurici concentrati unc. $1\frac{1}{2}$; evoluto hinc gase remedium contra contagium tutissimum habemus, quod pro majori spatio in pluribus hinc inde dispersis vasis extendi solet. Gas hoc muriaticum oxygenatum seu Chlorina cum tamen volatilitate citius effloaciam terminet, Chemici illud per calcariam figere ad laborarunt, unde Chloruretum calcis seu Calx oxy-muriatica pro durabiliori fumigatione oritur, cuius parandi, tam in magno quam parvo, variam methodum, ac pro diverso usu applicationem in opere Stratinghii legimus.

Fumigationem ita Chlorureto calcis hodie praeserimus, quod jam aquae ducentis partibus additis gas tantum dimittit, ut virtutem depurandi exerat, eo potentius vero, si acido sulfurico jungatur. Adhiberi etiam potest Chloruretum sodae, quod aqua tritum, ope scopae parieti illiniendum pro depurandis a contagio aedificiis aptum remedium fuisse videbatur. Singuli quoque ita contra contagium se tutos reddere queunt, si in sacco apparatus gas evolvendum tenentem portent, eum quippe, quem Morveau proposuit, lagenam scilicet in pyxide lignea contentam, in qua ope cochleae suber obturans adprimi aut demi potest, ut gasi evoluto exitus impediatur aut concedatur, melior tamen isto est apparatus a Dumotiez inventus, cum loco subberis discus vitreus orificio lagenae adprimatur, ut cochlea aperta gas evolutum discum levans facilius exire, atque per foramina pyxidis lignae in vestes penetrare possit.

Contra contagium ita nos munire conamur in virtutem acidorum mineralium fiduciam locando, quae tanto majori cum sedulitate applicanda sunt, si jam contagium organismum nostrum penetravit. Quo in casu plurimum praestat Emeticum primo momento exhibitum, e pulv. rad. Ipecac. scrup. 1. Tartr. Lixiv. Stibiat. gr. 1. amyli et sacch. alb. aa gr. 10. in doses duas dividendo, ae prima dosi nihil efficiente aliam post quadram horae exhibendo. Saepe tamen incassum hoc exhibito, protinus ad usum acidorum mineralium deveniendum est, et quidem non externe solum, ut memoravi, verum interne quoque, nempe ex aqu. font. unc. 10. acidi muriat. dilut. drach. 1 — 2. syrup. unc. 2. m. omni hora vasculo coffeaceo sumendo. Diaeta simul vegetabilis, ac regimen frigidum ordinetur. Brera sub erup-

tionc contagii laudat hydrargyrum cum belladonna , jubet inuactiones Ung. hydr. cinerei in spinam dorsi sieri ; interne proponit muriat. hydr. mitis gr. 6 — 10 ac pulv. bellad. sol. gr. 2—16 pro 24 horis ; aut extr. bellad. gr. 2. in aqu. cinam. unc. 1. solv. et hinc mane et vesperi guttas 4—6. simul laudat aegros lavare aceto aromatico : e hba rosm. fol. salv. aa unc. 4. flor. lavand. unc. 2. flor. cass. dr. 2. aceti vini libr. 19. incis. macerat per 4. dies , colat.

Praeter haec generalia , dum de contagio in specie agendum est , prophylaxis quoque , quantum hucusque experientia docuit , nobis succurrit , ut organismus vivus contagii assumendi , utut raris in casibus , prorsus incapax reddatur. Ita ad variolas avertendas inoculatio vaccinae ab Edvaro Jenner proposita pro felici invento semper habebitur , neque huic substitui potest neonatis umbilicum bene exprimendi ac emulgendi , et aqua salsa lavandi a Marco Meier Posen commendata methodus. Ita ad Scarlatinam Hahnemann solutionem succi fol. bellad. nimis exigua dosi exhibere nitebatur , tentarique potest juxta Hufeland ex extr. bellad. gr. 3. in aqu. cum spir. vin. mixtae unc. 1. solut. bis de die tot guttas dare , quot annos proles habet. Ita ad petechias avertendas Richter tinct. arom. acidae gutt. 20 — 30. propinari , laudat. Nonnunquam tamen in defectu methodi directe contagium avertentis , tempore opportuno ejusdem inoculatio , dum mitiorem efficere morbum cernitur , institui tentabatur , ita olim variolae ipsae verae inoculabantur ; ita morbillos Home inoculari voluit , in quem usum lacrymae aut sanguis morbillis affecti sub stadio florescentiae sumitur ; Monro etiam furfures epidermidis desquamatae selegit ; imo 1785 Veszpremi

pestem ipsam inoculari proposituit Londini edito
opere, perniciose sane consilio.

Si in delendo contagio ita infelices nos esse
videamus, ut morbum contagiosum jam omnino
evolvi comperiatur, respectus ante omnia haben-
dus est febris, num aliqua adsit essentialis. Mor-
bus talis contagiosus a febri essentiali dirigitur,
quamobrem indolis febris et decursus stadiorum
ejusdem ratio in considerationem veniat, necesse
est. In therapia etenim adornanda prima quae-
stio est, num febris adsit inflammatoria, num
nervosa, num putrida, num gastrica, num ca-
tarrhalis, habito ita charactere febris porro in-
quirendum est, an stadium adsit florescentiae,
an suppurationis, dum pustulae se exhibent, an
denique exsiccationis. At si morbus contagiosus
absque febre essentiali comparcat, nullus ordo
talis a natura definitus obtinebit, atque non tan-
tum licitum erit morbum protinus sufferre, ve-
rum omnino remedia quantocvus adhibenda erunt
ad eum delendum, ne eosque increscat, ut om-
nen medelam inanem reddat. Exemplum nobis
praebet Syphilis, quae, dum mentem nonnullorum
studium nova detegendi occuparet, variis
incassum impeti remediis tentabatur, usquedum
totum organismum infausto eventu obruisset,
alias dum in primis initii hydrargyro tracta-
batur, mox perfecte evanuit. Tanto magis hoc
observandum est in morbo hydrophobico a
morsu canis rabidi enato, ubi juxta observatio-
nes eximias a Schallern nobis communicatas
nisi intra duas horas succurratur, evolutio mor-
bi gravissimi advenit, qui tunc incertum curae
successum promittit. Intra duas quippe horas a
morsu, praemissis lanceola factis incisionibus,
et aliquot minutis sanguinis exitu concesso adu-
rit locum hunc ferro candente curvatura dini-

diam ellipsim referente, tnm deligat bis quotidie per 14 dies et dein semel usque ad 28-an diem unguento e Camph. gr. 12. in ol. terebint scrup. 2. solut. addit. ung. basilic. unc. 2. oxyd. hydr. rubri gr. 8. pulv. cantharid. scr. 4. m. Post horas duas a morsu autem veniente aegro, non jam ferrum candens, sed muriatem stibii applicat, interne simul belladonnam cum muriat. hydr. miti et oleo cajeput semper aucta dosi propinando.

Morbo contagioso in summo gradu evoluto, perniciemque exhibente princeps indicatio est viribus vitae prospicere, quamobrem variae jam a veteribus proponebantur compositiones, verum optimae adhuc sunt e hb. aromaticis, uti fl. lavand. hb. rutaе, salviae, menthae, absynthii cнm vino, imo aceto digestis addita demum camphora. Medicum tamen casus specialis in eligendis remedиis diriget.

T h e s e s.

1. Una solum existit Affinitas chemica.
 2. Miasma et contagium, sunt duo diversa.
 3. Pharmacon praestantissimum in manu imprudentis saepe venenum dirissimum.
 4. Ex Epidemia uni malo propria, omnis morbus participare potest.
 5. Cholera nunc regnans, epidemica est.
 6. Timor Choleram excitat, aut ad eandem disponit.
 7. Praedictio de perfecto Cholerae in febrim putridam aut dysenteriam transitu, phantasma est.
-